

TITULUS XIX.

DE INTERDICTO.

- | | |
|--|---|
| I. Interdictum locale , personale, | IV. & V. Generalis interdicti modus. |
| mixtum. | |
| II. Generale , vel particolare. | VI. In quos feratur interdictum? |
| III. Quod generale , quod particolare sit? | VII. Poenæ eorum , qui interdictum violent. |
| | VIII. Cessatio à divinis. |

§. I.

Interdictum est censura , qua quibusdam locis , aut personis Divinis officiis , Sacramentis , atque usu ecclesiastice sepulturæ interdicitur. Est autem vel locale , quod locum ipsum afficit , ita ut eo quidem loco abstinere se quisquis debeat è divinis officiis , à Sacramentis , ab usu Ecclesiastice sepulturæ , non item cum non amplius in eo loco versatur ; vel personale , quod personam attingit , & quocunque eat persona , eamdem sequitur ; vel mixtum , quod & locum , & personam comprehendit.

§. II. Est item tum locale , tum personale interdictum vel generale , vel particolare. Locale interdictum generale est , quod ad integrum nationem , regnum , provinciam , civitatem , diœcesim ; particulare , quod ad unam tantum Ecclesiam pertinet. De utroque hoc interdicto notandum est , quod interdicta civitate , etiam *suburbia* , & *continentia aedificia* , interdicta Ecclesia , etiam *Capellæ* , & *Cœmeterium Ecclesiæ contigua* interdicta censemur (1).

(1) Cap. 10. & 17. de Sentent. excomm. in 6.

§. III. Personale interdictum generale fertur vel in totum Clerum , quo nomine reliquus populus minime continetur , vel in populum , & hoc quidem interdicti genus non comprehendit clerum , nisi aliud cautum nominatim sit (1). Particulare autem personale interdictum certos obstringit homines nominatim expressos , ceteros non obstrin git. Generalium interdictorum non recens , ut quidam pu-

taht (2) , ratio , institutioque est. Nam antiquissima ætate interdicto quandoque subjecta constat universa collegia , & civitates , & provincias , & regna ipsa ob atrox aliquod Regum , & Magistratum facinus , ut populus interdicti tediō victus suo luctu , & querelis Principem ad officium revocaret (3).

(1) Cap. 16. de Sentent. excom. in 6.

(2) Rousselius lib. 8. Pontif. jurisd. c. 1. n. 31. nondum constare inquit , quonam tempore generalis interdicti usus invaluerit. Morinus l. 2. Exercit. c. ult. à saeculo X. ejus initium repetit ; eademque est sententia Van-Espenii Jus Eccl. univers. par. 3. tit. 11. c. 9. §. 19. Claudio Fleuryus Inst. Canonic. par. 3. c. 21. §. 2. primum generalis interdicti exemplum se deprehendisse inquit saeculo VI. , sed tamen generales excommunications , & interdicta tantum post S. Gregorium VII. invalluisse. Binghamus Orig. Eccles. l. 16. c. 3. §. 7. p. 156. & seq. t. 7. ed. cit. multis exagit. generalia interdicta , neque alia est sententia Cavalierii Inst. Canonic. par. 3. c. 36. §. 4. & 5. Continuus Auctor delle Rifflessioni sulla Bolla Canæ p. 18. interdictum vocat Nuovo metodo di scomuniche , che per mille anni era stato ignoto nella Chiesa. Ante hos Apostata M. Antonius de Dominis de Republ. l. 5. c. 9. n. 38 , & Paulus Sarpius in Tract. sept. Theolog. Ven. , & peculiari opere dell' Interdetto multa contra generale præsertim , ac locale interdictum scripsérant Graviter tamen , ac solide contra hostes interdicti disserunt Bellarminus Risposta al trattato dei sette teologi di Venezia sopra l'interdetto di N.S.P. Paolo V. , Rutilius Benzonius de Justit. Pontific. interdict. , Baronius Parænas. ad Rem publ. Ven. , Fagnanus de Justit. & validit. censur. Pauli V. Videndi sunt etiam Auctor operis Conferences Ecclesiastiques d' Angers pour l'anne 1712. t. 1. p. 324. , & Cl. Zaccaria Diss. 3. della Forza obligatoria della disciplina num. 37.

(3) Generalis interdicti satis clarum exemplum est in Canone 29. Apostolorum apud Cotelerium PP. Apostolic. t. 1. p. 447. ed. cit. , cuius hæc verba sunt: *Si quis ordinatus Episcopus administrationem , & curam pupuli sibi traditam non suscepit , hic sit segregatus ... Si vero profectus Episcopus non recipiatur sed propter populi malitiam , ipse quidem sit Episcopus , Clerus vero civitatis segregetur , quia ejusmodi populi contumacis non fuerunt correptores.* Habet hic generale interdictum in totum clerum constitutum. Etiam Basilius Ep. 270. opp. t. 3. p. 417. ed. Paris. 1730. integrum pagum , quod raptorem cum rapta puella suscepit , neque eam restituerat , interdicto subjecit. Generalis quoque interdicti exempla sunt apud S. Gregorium Turonensem Histor. Franc. l. 8. c. 31. col. 404. ed. Paris 1699. , & in Concilio Agathensi an. 506. , cuius decretum extat in c. 2. de Purgat. canonico. ubi populus banno Christianitatis constrictus memoratur. Nam bannus